

H. Sax. C  
223

H. Sax. C  
223

00.

H. S. J. 18. 0. 11. 8.



13

14

15

16

17

18

19

20

21

22

23

24

25

26

27

28

29

30

31

32

33

34

35

36

37

38

39

40

41

42

43

44

45

46

47

48

49

50

51

52

53

54

55

56

57

58

59

60

61

62

63

64

65

66

67

68

69

70

71

72

73

74

75

76

77

78

79

80

81

82

83

84

85

86

87

88

89

90

91

92

93

94

95

96

97

98

99

100

101

102

103

104

105

106

107

108

109

110

111

112

113

114

115

116

117

118

119

120

121

122

123

124

125

126

127

128

129

130

131

132

133

134

135

136

137

138

139

140

141

142

143

144

145

146

147

148

149

150

151

152

153

154

155

156

157

158

159

160

161

162

163

164

165

166

167

168

169

170

171

172

173

174

175

176

177

178

179

180

181

182

183

184

185

186

187

188

189

190

191

192

193

194

195

196

197

198

199

200

201

202

203

204

205

206

207

208

209

210

211

212

213

214

215

216



SPES NOSTRA REFUGET AB ARTU.  
 Mercuria ad. Lucchese.  
 Nxia ceu navis, tumidis jactata procellis,  
 Horret inexhausti naufraga faxa maris,  
 Aut ferit annosas tempestas turbida quercus  
 Fulmine, vel pavido terra tremore tremit;  
 Sic nox illa fuit, pejorem dicere posses,  
 Unica quæ tanti causa doloris erat;  
 Nempe--- sed hic hebes est calamus, lacrymantur ocelli:  
**REGEM** non patrio decubuisse solo.

**O** rigidam sortem! casum sine fine dolendum!

Quilibet **AUGUSTI** nomen inane vocat.  
 Squalidus incomitos Albis ferit ungue capillos,

Ingeminans: Regem Vistula, redde meum!

**Filius Elector** tanti flet funera Patris;

Nuncia fama necis fulminis instar erat.

**Electrix**, constans solidæ virtutis amatrix,

Deplorat saceri tristia fata sui.

Indulget lacrymis patriæ spes, turba **Nepotum**,

Et charum tenera voce reposcit **Avum**.

Aula dolorifico nimium pessundata planctu,

Ingemit: ah tandem **REX** adamante redi!

Dresda gemitus, quondam quæ nil, nisi gaudia novit,

Fatalem recolit tristis & orba diem.

Urbs Domino viduata suo, nunc vulnera sentit,

Funestasque dolet sorte furente vices.

**O** liceat **REGI**, vox est hæc civibus una,

Postremum fido dicere corde: vale!

**Q**quam tristis rerum facies ! quæ fulmina fati !

Mœsta cupresseti ruta gerit folia !

Tympana nulla sonant, nec porta repagula solvit ;

Territat atratus lumina nostra color.

Temporis auxilio vix est obducta cicatrix,

Cum campanarum fit nova plaga fono.

**C**ausa doloris adest ingens : Respublica luget ;

Ferreus hic etenim, marmoreusque foret,

Aut ferus, hyrcanum ferret sub corde leonem,

Qui, quando sœvi nos ferit ira Dei,

Duraque regalem rapuerunt fata coronam,

Busta queat siccis cernere tanta genis.

**I**mperii nunquam Rex ullus gessit habenas,

Qui foret **AUGUSTO** dignior elogio.

Dignus erat **Titus**, nec non **Trajanus** amore,

Sed tamen **AUGUSTI** gratia major erat.

Posteritas etenim ventura fatebitur olim :

**AUGUSTUM**, titulum commeruisse **PATRIS**.

Consiliis populos, & mansuetudine rexit,

Magnificum jungens Martis & Artis opus.

Vindictæ nunquam dulcedine captus amara,

Quæsivit populi commoda sola sui.

Heros magnanimus, nulli Virtute secundus,

Alcides nostri temporis alter erat.

Aula stupescenti miracula plurima mundo,

Virtutis normam Principibusque dedit.

Frivola Musa tace : quid enim describere tentas ?

**AUGUSTI** vitam ? Frivola Musa tace.

Viribus hic opus est ; nec **Regis** gesta **Poloni**,

Nec laudum titulos charta pusilla capit.

Posteritas quondam pariis incisa columnis,

**AUGUSTI REGIS** fortia facta legat.

Tantus enim mortis conamina despicit Heros,

Virtutique manet gloria longa comes.

Sarmata terra quidem **REGIS** de corpore gaudet,

Sed **REGEM** Saxo pectore quisque gerit.

Si pons vel stabulum nostris se fistit ocellis,

Dicimus : **AUGUSTUS** nobile fecit opus ;

Proh Dolor ! AUGUSTUS, cujus, nisi mente gemente,  
Dulce sibi nomen dicere lingua nequit.  
Sarmaticas quivis Votum transmittit ad oras  
Extremum, dicens : sit tibi terra levis !  
Sit tibi blanda quies ! lacrumas date, lumina, largas !  
Sed tremo ; meque dolor dicere plura vetat.  
Sit modus in rebus : compescite lumina, fletum :  
Mens satis in lacrumas officiosa fuit.

Sed quæ lux oritur ? nunc spes renovata dolorem  
Discutit ex animo, tristitiamque fugat.  
Nubila vividior fulget post tempora Phœbus,  
Missaque vox cœlo prospera verba refert :  
**Quod fuit AUGUSTUS PATER olim, fœnore largo**  
**AUGUSTUS patriæ FILIUS illud erit.**  
Cœlica vox dulci reficit solamine mentes,  
Pristina propitio Numine cura fugit.  
Albis, sole novo, radios dum cernit amœnos,  
Lætitiae pandit publica signa suæ.  
Lætantur cives ; sanctas ad Numinis aras,  
**VIVAT UT AUGUSTUS ! dedita turba vovet.**  
Ergo veni, Princeps, heroica PATRIS imago,  
Auspiciisque bonis regna paterna cape.  
Te clarum virtus fecit, natura decorum :  
Intuitu solo pectora mille capis.  
Æternum tibi corda patent ; en dextra fidesque !  
Nullaque disrumpet vincula firma dies.  
Ut valeas cum stirpe tua, deperdere nostra  
Vel bona, vel vitam, turba parata sumus.  
Propitium Numen semper tua cœpta secundet !  
Floreat imperio patria nostra tuo !  
Inclyta fœminei Conjux tua, gloria sexus,  
In nos affectu matris ad instar erit.  
**Austriacus sanguis, quo non clementior ullus,**  
Quas ferimus, steriles non sinet esse preces.  
Fœcundum thalamum jam sextus furculus ornat,  
Electoralis sic viret usque DOMUS.  
Vivite felices ! nostris Deus, annue votis :  
Ut sit, ceu quondam, Ruta coronigera.

— S — O — S —

17. VI. 1985  
20. VI. 1985

Datum der Entleihung bitte hier einstempeln!

12. April 1994  
1-5. Juli 1996



111/9/280 JG 162/6/Bc

2 0313013

H. Soc. C. 223

